63.

AMANTISSIMO ET MERITISSIMO

PATRUO NICOLAO

JEANROY,

DOCTORI MEDICO PARISIENSI,

BIBLIOTHECÆ FACULTATIS PRÆFECTO,

Necnon Regii Medicorum Collegii Nanceianorum Socio Honorario.

QUÒD me, ut Magiſter Diſcipulum, Amicus Amicum, Pater Filium, ſtudio, conſiliis & amore proſecutus fueris; tibi, OPTIME PATRUE, *hoc leve grati animi pignus, publicumque reverentiæ monumentum.*

Libentiſſimus voveo & conſecro
Deodatus JEANROY,
Medicus Pariſienſis.

64

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè diſcutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis ſeptimâ menſis Decembris, Anno Domini 1775.

M. JOANNE-MATTHÆO DEFRASNE,
Doctore Medico, Præſide.

An Arthritidis & Rheumatiſmi character idem, eadem curatio.

I.

SI quis amico medendi deſiderio agitatus, praxeos Medicæ mille difficultates ſuperare exardeſcit, huic in eo eſt incumbendum, ut genuinam morborum indolem & hiſtoriam apprimè calleat. Percipiet ſtatim ſua quemque morbum habere periodorum tempora, certas creſcendi decreſcendique leges ſervare, niſi incautâ curationis feſtinatione ejus typus perturbetur. Signorum tum præſentium tum præteritorum recordatio diagnoſeos certitudinem procreabit, quâ auxiliante, acquiſitâ remediorum ſecuritate, depopulantium ſimptomatum ſævities demulcebitur. Proſperos aut infelices malorum exitus præſagire poterit, ſi naturæ tramitum abſtruſiores receſſus penetrandi artem ferè divinam indefeſſis laboribus ac vigiliis comparaverit. Hæc autem omnia perfectam rerum præternaturalium amplectuntur cognitionem. At neminem infinitorum deterreat ſimptomatum diverſitas, quibus morbi primo intuitu à ſeſe invicem differunt. Mira quidem affulget ſimilitudo ex quâ deprompta ſimplicior nomenclatura lucidiorem morborum diviſionem inſtitueret. Illius propoſiti finem, morbis attentè inter ſe comparatis, ars ſalutifera conſequi valebit; ita ſimiles cauſarum & ſimptomatum affinitate coadunabuntur, diſſimiles vero diſſociabuntur. Eorum analogia ratiocinio detecta, non experimentis dubiis, ſed inconcuſſâ obſervationum ſerie confirmata, praxim ineuntibus foret perutilis, & protheiformem malorum cohortem paucis remediis edisceet debellare. Enim verò tutius ac facilius eſſet Medicinæ Tironibus in memoriam ſuam revocare, quod ſpectat ad morbos cognoſcendos præſcribendaque remedia, ſi percelebris practicantium cœtus conſtantes regulas ex cauſarum analogiâ deſumeret & ſedulò traderet. Nemo ſanè ignorat, quot & quanta ex analogicâ methodo in bene multas artes

ac ſcientias commoda redundent. Sectiones Anatomicæ ſuper animalia tentatæ ad veram corporis humani ſtructuræ cognitionem perduxerunt Anatomiſtas, eâdemque viâ ad perfectionis cumulum Phyſiologia ferè fuit evecta. Materiæ Medicæ Scriptores, in explicandâ remediorum virtute, eamdem ratiocinandi normam uſurparunt, & mediantibus externis ſenſationibus de eorum modo agendi in corpore judicium analogicè tulerunt. Cur non in praxi Medicâ per analogiam ratiocinaremur. (*a*) Simptomata inflammationis propter peculiarem cujuslibet partis naturam majori minorive intenſitate pollent, ſed quoad generationis phœnomena, curationiſque media, nulla ferè eſt differentia. Inter morbos qui eamdem habent inter ſe affinitatem, eminet Arthritis & Rheumatiſmus. Ab eodem fonte dimanat uterque morbus, iiſdem ſtipatur ſimptomatibus, iidem deprehenduntur exitus. Si quoddam adſit diſcrimen à diverſitate partis affectæ venit repetendum. Arthritis corripit ligamenta quæ oſſium conjunctionibus inſerviunt, Rheumatiſmus verò muſculorum involucra præcipuè occupat. Sed materia morbifica quoad eſſentiam tantâ gaudet ſimilitudine, ut ne minimum quidem differentiæ ſignum appareat. Nunc exponendum nobis eſt in toto Theſeos decurſu, quid ſit utrique morbo commune, & quam facilè, ex cognitâ unius morbi rectâ curandi ratione, alterius congeneris proſpero eventu inſtituenda ſit curatio.

(*a*) Baglivi de morborum & naturæ analogiſmo. p. 471.

I I.

QUOTIESCUMQUE agebatur apud Veteres de doloribus ſive oſſium juncturas, ſive qualeſcunque corporis partes dirè vexantibus, una & eadem vox Arthritis indiſcriminatim fuit uſurpata; nomen Rheumatiſmi erat ignotum. Neoterici diviſionum ſtudioſi, huicce morbo quamvis ſit habendus, tanquam ſpecies ad unicum & idem genus referenda, tot tamen aſſignarunt nomina, quot ſunt partes doloribus Arthriticis obnoxiæ; indè ſtirps nefaria podagræ, chiragræ, gonagræ ſoboleſcit. Circa cauſam eſſentialem maximè inter ſe diſſentiunt praxeos Medicæ Authores. Hippocrates (*b*) ſanguini in venulis à bile & pituitâ corrupto, Galenus tantummodò bili, alii melancholiæ hoſce dolores tribuerunt. Quibus cauſis rejectis, originem ducere ab humore ſeroſo & humido Fernelius non dubitavit aſſerere. Mercatus

(*b*) Lib. de affect. p. 301.

peculiarem humorum cruditatem incusat, Paracelsus vero inspissationem liquoris sinovialis prædicat. In hisce hypothesibus, ratiocinii authoritate & observationum face minùs benè fulcitis, non diutiùs immorabimur. Sub nomine *Arthritidis* intelligendus est dolor ingens & periodicus circa articulos ab humore terreosalinam referente substantiam ortum repetens. Articuli cruciatibus corripiuntur, ex eo quod calor imbecillior & ipsa debilitas harumce partium humoris stagnationi ansam præbeant faciliorem. Huic duplici causæ Arthritidem constituenti, altera est addenda quæ à peculiari materiei Arthriticæ cognatione cum ossibus & membranis desumitur. Multiplici causarum procatharticarum enumeratione constabit, quomodò humores vitiantur, terrâque cretaceâ luxuriant. Prava parentum constitutio, evacuationes suppressæ, insolitum aeris frigus, dolores ventris certis temporibus redeuntes Arthritidis generationi favent. Qui etiam spirituosis liquoribus nimis delectantur, ac Veneri nondum maturâ ætate indulgent, hoc morbo sæpissimè cruciantur; indè à Poëtis fingitur Bacchi & Veneris filia. Urinæ tenues instar aquæ limpiditatis, nullo subsidente sedimento, sudoris suppressio, valida animi pathemata paroxismum prænuntiant & minitantur. Acris dolor, ad motum impotentia, febris, tumor & rubedo, dant signum pathognomonicum. Illa autem simptomatum series in diagnosi non semper requiritur. Nam febris aliquando deficit, intactâ cute, ne minimum quidem tumoris apparet vestigium. Prognoscos periculum à causâ primariâ, à variis partibus affectis, vi & frequentiâ paroxismorum æstimatur. Arthritis triplici exitu solvitur, vel morbificæ materiei resolutione quæ per poros cutis foràs eliminatur, quod sæpissimè accidit; vel per evacuationes, vel denique per illius mutationem in saniem quasi purulentam partes pungentem & erodentem. Diuturnior humoris stagnatio nodos & tophos efformat (*c*), sed si materies subitâ translatione ad intestina devehatur, fluxum alvi excitat, partes excoriat, ægrique doloribus, febre & marasmo consumpti miserè pereunt.

(*c*) Sennert. De Arthritide.

III.

INTER mille malorum genera, quæ hominum fiunt pessimi tortores, nullus morbus, nec frequentior, nec crudelior sævit quàm Rheumatismus. Affectio autem illa apud Veteres Catarrhi nomine

(d) Lib. de Rheumatiſmo 316. vol. IV.

(e) Wanſv. in aphoriſm. de Rheumatiſmo p. 598. vol. V.

inſignita, à Ballonio (d) Arthritis univerſalis vocatur; Trallianus (e) de podagrâ loquendo Rheumatiſmi voce utitur. Sævus ille hoſtis dolore vago in omnes partes furit. Si cauſas ſivè remotas, ſivè proximas ſedùlâ mente inquiramus, eadem prava ac in Arthritide humorum diatheſis, ex quorum acrimonia naſcitur dolendi occaſio. Rheumatiſmo autem invadente, facies rubore nitet, caloris acris ſenſus, intenſior remiſſiorve percipitur febris, noctu ſimptomata recrudeſcunt, quandòque tanta eſt dolorum acerbitas ut partes affectæ, ſine maximo ægrorum ejulatu, nec moveri nec tangi poſſint. Cum affectio illa ſit morbus omnium partium; mortis pericula plus minuſve imminent, attamen ſi dolor partes externas teneat, ægrotantium vita non periclitatur.

Rheumatiſmus apud Practicos variis denominationibus inſignitur. Si humor conſtantiâ ſeu mobilitate vigeat, vagus aut fixus; ſi verò adſit plethora, ſanguineus; lumbis aut cruribus cruciatis, Lumbago ſeu Iſchias nuncupatur. Quandòque infelici caſu materies Arthritica ſeu Rheumatica in quoddam viſcus irrumpit; tunc mutato nomine, vel Apoplexiæ vel Peripneumoniæ peculiaris indolis ſimptomata gerit, prout caput vel pectus malè afficitur; nihilominùs feliciter adhibentur eadem remedia, quibus prior morbus erat debellandus. Non autem idem accidit in ſedandis doloribus à lue Venereâ, labe ſcorbuticâ, ſeu quovis miaſmate excitatis, qui apud nonnullos Medicos tanquam Arthritis & Rheumatiſmi inconſultò habentur, ſiquidem experientiâ conſtat in iis profligandis diverſam requiri curandi methodum.

IV.

(f) Baillou. An Rheumatiſmus & Arthritis congeneres.

UTERQUE morbus commune à parentibus exordium agnoſcit (f); ſenes doloribus Arthriticis & Rheumaticis ſæpius torquentur quam juvenes. Duplex illa labes mulieres etiam menſtruas ſimùl divexat, ſi immoderatam virorum æquaverint licentiam. Temperies plethorica & cachectica, frigus & calor in partem alternatim irruens, nocivæ aeris viciſſitudines autumni incipientis redeuntiſque veris, immodicus ſeu præmaturus Veneris uſus, tranſpiratio inſenſilis imminuta Arthriticum & Rheumaticum generant paroxiſmum. Quibus ſupradictis analogiâ cauſarum confirmatâ, in eo nobis eſt laborandum ut phœnome-

norum, quæ utriusque morbi invasionem denotant, inter se consensum investigemus. Ventriculi cruditas, virium prostratio, flatus & nauseæ, lotium nitens, pulsus durus ac plenus, cutis sicca, laboriosa respiratio, voracior appetitus insultum proximum præsagiunt. Hæc simptomata paroxismi nuntia multo certiora & evidentiora fiunt, si Arthritis & Rheumatismus, quæ determinatis temporibus redibant, ægrum non corripuerint. Peculiaria adsunt simptomata quæ à diversâ partium naturâ oriuntur. Affectus Rheumatici dolores Arthriticos mentiuntur. Quotidianâ constat experientiâ, ope Epispasticorum in partes olim doloribus Arthriticis cruciatas, subitam humoris Rheumatici ad viscera translationem fuisse revocatam. Si imprudenti topicorum administratione humor Arthriticus repercutiatur, tunc dolores Rheumatici Podagræ succedentes, suam tyrannidem exercent. In cadaveribus uno aut altero morbo extinctis, concretiones lapidis duritiem & naturam cretaceam æmulantes, tùm propè ossium articulationes, tùm suprà musculos collocatas, Anatomia demonstrat (g). Quinimmò ægri hisce ærumnis obnoxii calculo sæpissimè in provectiori ætate miserè crucientur, & tanta est inter Arthritidem, Rheumatismum, & calculum cognatio, ut non rarò mixtum habeant imperium.

(g) Leguntur observationes apud Wans. in aphor. de Rheumatismo pag. 603.

V.

NORUNT omnes, quam sit arduum ac difficile utriusque morbi causam primariam feliciter propugnare, paroxismique reditum omninò impedire; attamen si novus insultus ægros Arthritide & Rheumatismo divexatos torqueat, tunc ars Medica, Medicique prudentia, nefandam simptomatum sævitiem mitigant; eorumque progressu retuso omne periculum avertunt. Immeritò ergò incusantur Medici in compescendis curandisque doloribus Arthriticis & Rheumaticis. Quædam enim apud practicos occurrunt exempla eorum qui diætâ lactæâ, vini abstinentiâ & ope remediorum ad perfectam sanitatem fuerunt restituti. Alios etiam ad paupertatem redactos, per totum vitæ curriculum, à tantis cruciatibus fuisse immunes testantur historiæ. Nonnè potiùs arguendi sunt ægri quam ars Medica? Hi medicamentis parum solliciti, Medicorum consilia negligunt, Empiricorum jactantiæ cœcam fidem adhibent, vix à paroxismi invasione liberati, rursùs genio suo indulgentes, severioris diætæ legibus sese adstringere impatienter fe-

runt. Undè non mirum eſt clinicos tam ſæpè integrâ curationis ſpe defraudari. Dolorum acerbitas, febris inflammationum comes indevulſa, integra ſeu imminuta tranſpirationis ſuppreſſio invaſionem excitant. Itaque in utroque morbo diluentia & refrigerantia, frictiones, ſaponacea propter nimiam terræ calcariæ redundantiam ægregiè proſunt; laudat Sydenhamus, Angliæ Hippocrates, enemata leniter purgantia, draſtica verò rejicit. Sic præparatis viis, quidquid humores inſpiſſatos dividit, ſudores provocat, quandoque narcotica, dolores ſopiendo, commendantur. Miſſio ſanguinis è ſaphenâ inſultum caput minitantem propellit. Denique ſi Medicus ad partes externas materiem morbificam revocare velit, epiſpaſtica & cauteria, non ſolùm illius mutationi favent, ſed etiam ægris maximè conducunt. Mutuâ ac rectâ cauſarum, ſimptomatum, effectuum & curationis comparatione inſtitutâ, nihil ſanè obſtat quin meritò concludamus:

Ergò Arthritidis & Rheumatiſmi character idem, eadem curatio :

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Claudius DE LA FISSE, Chirurgiæ Gallico idiomate Profeſſor.

M. Joannes-Baptiſta-Michäel BUCQUET, Cenſor Regius, utriuſque Pharmaciæ Profeſſor.

M. Dionyſius PAUTIER DE LA BREUILLE, S. Comitis Gallo-Provinciæ, Medicus Primarius.

M. Joſephus-Ignatius GUILLOTIN.

M. Ambroſius-Auguſtus BELANGER, Sereniſſimæ Comitiſſæ Atrebatum Medicus ordinarius.

M. Natalis-Andreas-Joannes-Baptiſta CHESNEAU.

M. Carolus-Jacobus-Ludovicus COQUEREAU, Scholarum Profeſſor deſignatus.

M. Franciſcus-Maria LE MOINE.

M. Dionyſius-Claudius DOULCET.

Proponebat Pariſiis, DEODATUS JEANROY, Tullenſis, Doctor Medicus Nanceianus, necnon Saluberrimæ Facultatis Pariſienſis Baccalaureus, Theſeos Autor, A. R. S. H. 1775, à ſextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Tapographi. 1775.